Allegatum Apocryphum VI.

Matth. XI, 28.

Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. h. e. *Venite ad me omnes, qui fatigati estis, & onerati, & ego faciam, ut requiescatis.* Hæc verba desumpta esse ajunt ex Sir. c. XXIV, 25. Προσέλθετε πρός με οἱ ἐπιθυμοῦντές μου, καὶ ἀπὸ τῶν γενημάτων μου ἐμπλήσθητε. v. 29. Οἱ ἐσθίοντές με ἔτι πεινάσουσι, καὶ οἱ πίνοντές με ἔτι διψήσουσιν. h. e. *Accedite ad me, qui cupitis me, & fructibus meis, quos gigno, implemini. Qui comedunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc erunt sitientes mei.* Sed enim qui hæc Christum ex Siracide mutuasse dicunt, in luce pomeridiana sine dubio cœcutiunt. Meminisse enim poterant frequentis illius invitationis, qua personalis Sapientia, Christus in V. Testamento pios allicit c. I. Proverb. item c. IX. ubi ait: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Quod postea Esaias repetiit c. LV, 1. & Jeremias c. XXXI, 25. ubi ferme eadem habentur verba, quæ Christus dixit: *Defessas animas recreabo, & omnes animas esurientes saturabo.*

Allegatum Apocryphum VII.

Matth. XIII, 43.

Τότε οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν ὡς ὁ ἥλιος, ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Πατρὸς αὐτῶν. Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. h. e. *Tunc justi effulgebunt, ut sol, in regno Patris sui. Qui habet aures ad audiendum, audiat.* Hæc verba Christum, ajunt, petiisse ex III, 7. lib. Sap. ubi dicitur: Καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσι, καὶ ὡς σπινθῆρες ἐν καλάμῃ διαδραμοῦνται. h. e. *Tempore visitationis ipsorum relucebunt, & tanquam scintillæ, accendentes stipulam, perficient cursum.* Verum & hæc allegatio præter Christi mentem accidit. Hic enim,

ceu